

The image shows the front cover of a book bound in black leather. The leather has a prominent, irregular, cracked texture. On the left side, the spine of the book is visible, showing several raised bands. A small, rectangular white paper label is affixed to the spine, approximately one-third of the way down from the top. The label contains the number '3' printed in a simple, black font. The background is a plain, light-colored surface.

3

№ 8393

NR 7495

NR 7434

R. 8678 (BRMB)



Puvios (Fomas de)

Oratio funebris in
exequiis Domini Perer
Romae 1724.

R

- Es Domingo Perier de Burgos u. j. m. en
M (1661-1724). - Se llamaban "Españoles de
Madrid" por su dominio del latín. Fue
ob. de Astorga y secretario de la Sag.
Congreg. del Indio - en Roma -.

Domingo Pérez
Pte obispo de Astorga

ORATIO FUNEBRIS

Habita in *Æcclesia Sanctæ Mariæ super
Minervam de Urbe.*

Ab Admodum Rev. Patre

AUGUSTINO THOMA DE QUIROS

Philosophiæ Lectore in præ-
fato Conventu.

IN EXEQUIJS

Reverendissimi Patris

DOMINICI PEREZ

Sacræ Congregationis Indicis
Secretarij.

CELEBRATIS

Jussu Ill^mi, ac R^mi Dⁿⁱ D. Fratris

THOMÆ MARINI

EPISCOPI SYRACUSANI,

Ex eodem Prædicatorum Ordine assumpti.

Librij Præcentorij et Can^{ic} Figuerola



ROMÆ MDCCXXIV.



Ex Typographia Komarek in Viâ Cursus.
Superiorum Permissu.

ORATIO FUNEBRIS

habitu in ...
Mortuus ...

...

JUSTINO THOMA DE ...

...

IN HÆRULIS

...

DOMINICÆ PEREZ

...

...

CELEBRATA

...

THOMÆ MARIÆ

...

...



ROYAL MESSAGE

...

...



ORATIO.



Uamvis aliis in rebus magnanimæ fortitudinis, ac intrepidæ constantiæ laus quærenda sit; In hoc tamen gravi vulnere, ob acerbissimã Reverendissimi Patris Dominici Perez

mortem accepto, immanis duritia foret lumina amaros in fletus non solvere, dolore non commoveri. Omnium obversantur oculis tanti Viri virtutes, eximiaque rerum ab eo gestarum, ubique monumenta: Et merorem ex ejus morte susceptum sedare pro Oratoris munere mihi tribuam, consolandique Vos munus audacter suscipiam? Quocumque oculorum,

aciem , mentemque converto , officii mei admonitores intueor , qui quam arduam sanè Provinciam susceperim apertè mihi demonstrant ; jam quod nec etate , nequè ingenio satis valens recenti vulnere levamen contra sapientum hominum præcepta adhibere suscipio . Et profectò si in florentissimo Hispaniarum Regno Academia nulla est , quæ suæ doctrinæ splendore non illustretur , nullus penè locus , quem Dominici Perez virtus , ac illustre nomen non pervaserit ; sive de ardore in criminum detestatione , sive de ejus alta prudentia , qua Magnatum consilia dirigebat , in agendis dexteritate ; de tanti Viri jactura quis summa affici maestitia non debet ? Meritò quapropter lacrymis omnium oculos madere oportet , undiquè omnia , quærelis , gemitibusque circumsonare . At si teste Gregorio , *summè felix eorum sors est , qui vitæ hujus itinere per virtutum gradus emenso ad cælestem portum pervenerunt* , consolandi Vos campus se mihi aperit . Dùm hac brevi Oratione ejus virtutes , ac merita recensendo , quibus , & de Ecclesia , de nostro Ordine , ac de Republica literaria semper extitit benemeritus : Haud difficile erit animum in nostrum inducere , Dominicum Perez jam in æternas Beatorum Sedes evectum . Tu verò veniam dolori meo dabis , si tua clarissima virtutum

orna-

ornamenta rudi, & incompta Oratione obumbrabo magis, quam laudabo; accipe hoc quaecumque est, quod cineri tuo munus in grati animi monumentum exsolvo.

Optabilius profectò est ita nasci, ut solus sibi quisque lucere possit; quàm ortum Majorum nobilitate nancisci aliena luce splendentem; hoc aliud non est, nisi suæ laudis nullum habere participem, nihil splendoris ab aliis esse mutuatum. Hinc de Dominici Perez laudibus, ac virtutibus verba facturus, Patriæ claritatem, opes, ac copias numeranda non ducens; Quale habuerit in virtute præsidium vobis spectandum, quasi rerum pulcherrimarum thesaurum in initio propono. En jam, virtus ejus minimè annos expectat; sed ineuntis ætatis principio, inauditæ prudentiæ, pietatis, verecundiæ, & castimoniæ, tamquam instinctu ductus naturæ, significationes exhibens: in ejus animo sapientiæ semen altas radices posuit, & tempestivius adolevit. Oh fœlix ergo, & auspdatum principium! Mirum quapropter esse non debet, si ab hoc mundo veluti Pelago voluptatum undis agitato fugit, nomen in Patriarchæ Dominici sodalitatem tribuens; fugit namque ut ab impedimentis omnibus liber, tanquam Jacob expeditius illud arripiat iter, tutius ad terram illam ducens



(VI.)

in qua scilas, per quas ad Cœlum itur con-
spexit . At bone Deus ! Repulsam ab Il-
lustrissimo Episcopo Magistro Carbonell
Matritensis Cœnobij Moderatore adole-
scens patitur ; quippè qui corpore parvus ,
licèt ingenio maximus , eidem minus id-
circo decenter religiosa veste induendus
videbatur . Quid Auditores putatis his in
angustiis molietur ? Ut in medio mari edi-
ta , & altissimis defixa radicibus rupes ,
cujus summa undæ nè attingunt quidem ,
infima sic verberant, non ut eam commo-
veant sed ut ipsæ frangantur ; Ita ejus ani-
mi in proposito firmitudinem sicut mundi
illecebræ , ita , & repulsæ dedecus labefa-
ctare non potuerunt , sed suscepto consilio
ardentius insistens , aded non a proposito
deterritus fuit, ut conscripto eleganti car-
mine , quo ceù libello supplici suum con-
siliium flagrantius proponens , repulsam-
què modestè deprecans pervicit , ut sua
religiosa vota consequeretur . At alia hoc
in Viro admiratione longè majori digna
fuerunt . Probè noverat omnem virtutis
vim actione contineri ; Unde vivere ita
cœpit , ut vel primo vitæ religiosæ tyro-
cinio , exercitatis tanquam virtutis exem-
plum proponeretur : Cum omnia omnino
animi ornamenta , quæ vel ad divinum
cultum , vel ad aliorum commoda , vel
ad artium scientiarumque studium refe-

rebantur, sibi comparare fatageret.

Salmantinam ergo celebrem Universitatem Eruditionis causa adiit; Ubi studiorum cursum, unâ cum Joanne de Montalban confecit. O præclarum Amicorum par! Qui fervido virtutis amore flagrant, concorditer currentes motu; ac velut agricolæ pari animi promptitudine, sapientiæ aurum proscindentes, ac ferentes; hæud poterant uberrimos exindè fructus non colligere. Hinc si Joannes de Montalban Salmantinam primariam Cathedralis cæteris ibi Professoribus præstantior conscendit Infulisquè Episcopalibus decoratus extitit: Dominicus Perez adhuc impuber inenarrabili ingenii acumine, ac alacritate in Philosophiæ, ac Theologiæ Cathedras festinans, in insignioribus Hispaniæ Lycæis eas summa cum laude publicè docuit, primariamque Complutensem Cathedralis quindecim & amplius Annos est moderatus. Mirabile dictu! Erat illi memoria, velut Erarium opulentissimum, è quo Eruditionis suæ divitias opportunè depromebat. Et si homines naturæ ducuntur instinctu, juxta Augustini sententiam, alii ad eloquentiam, alii ad divinæ rerum investigationem, plerique ad causarum naturaliumque effectuum cognitionem: ut rarò sit, qui pluribus disciplinis excellat; Dominicum ta-

men Perez ad id unum natum omnes existimabant, quodcumque facere aggrediretur. De Divinis humanisque rebus disputandum erat? Longè videbatur omnium scientissimus; dicendum erat? Eloquentissimus; agendum? Prudentissimus. Et quemadmodum Sol firmamenti pulchritudinem nostris eripit aspectibus, Jovis lucè, Mercuriique radios obscurans, Omnes cœlestium luminum delicias quas per noctis tenebras spectabamus continens; ita & Dominicus Perez, quod in insignioribus Hispaniæ Doctoribus, splendoris Doctrinæ erat complexus, ipsorum lucem non parum imminuendo obscuravit. Unde de eo meritò dicere solitus erat Eruditissimus Magister Ramirez ex insigni Societate Jesu, *Nos omnes, vel junctim Patri Perez, licèt foret se minor, impares longè sumus.* Oh Virum insignem! Doctrinæ tuæ splendoribus dies celeberrimis Hispaniarum Lycæis illucescit, si Eruditissimo Philosophico Cursui Magistri Bajona, sub Collegii Complutensis Sancti Thomæ nomine ultimam ad miraculum admovens manum, per te jam Posteritas gratulatur intellectum, quod Vetustas non intellectum respuebat. Quid ergo mirum, si tanta virtutum luce aperto, ac libero Cœlo diffusâ oculos in omnium incidente, ad eum auditores, ut ad omnium Magistrum, imò

tam-

tamquam ad Oraculum confluerent , se-
 què Theologiæ, ac Philisophiæ difficultati-
 bus erudiendos exhiberent? Sub tanti Viri
 disciplina quem profectū sperare non po-
 terant? Quem Adversantium timorem pro-
 pulsare non debebant? dùm Divi Thomæ
 momentis ab eo ad summam elegantiam,
 nitoremquè traductis , ac expensis, inimi-
 corum tela felici , ac invicta constantiâ
 eludere securi erant . Ut enim Sol oriens
 nebulas dissiat , ventus aream purgat ;
 ita ipsum Dominici Perez nomen in
 Academiâ concertationibus resonans
 caliginosa omnium argumenta dissipa-
 bat .

Vide ergo Univerfa Respublica literaria
 quid jacturæ ex Dominici Perez fatali
 casu supervenerit . At cur res in omne
 Ævum , omnium Oratorum ingenia
 fatigaturas , exornare in hac ingenii
 mediocritate , ac in his temporis an-
 gustiis conor? Ante me dies deficeret ,
 quam opera collegissem omnia , præcla-
 raquè ejus doctrinæ monimenta , quibus
 magnus iste Vir decoratus apparuit; Et nisi
 apud oculatos testes loquerer , jure vere-
 rer nè ex declamatoria potiùs levitate ,
 quàm ex vero dicta acciperentur .

Non enim Ecclesiæ Militanti sterilis
 erat hæc Dominici Perez naturalium , di-
 vinarumque rerum cognitio , sic ut desi-
 des

des Philosophos imitaretur, qui dicendi ardore à rebus agendis adducti, quos juvare oportebat, desertos esse patiebantur. Ita doctrinæ commentatione delectabatur, ut quod eâ laboris assiduitate parabat in medium ad publicas utilitates conferret. Eò ardoris, ac charitatis pervenit, ut inter summas gravissimarum rerum occupationes, sæpissimè summo cum animarum proventu ad vitæ Christianæ decus pro sacro suggesto populum adhortaretur; multa de rerum humanarum fluxu, deque Christiani hominis officio disserens, quibus omnes ad fidem, ac pietatem instituebat. In scelerum detestatione fulgurabat, ignita ex ore ejus verba procedebant: tantaque erat ejus tonantis eloquii vis, ut Dominici Perez nomine mutato, Matriti terror vulgò *Espana-Madrid*, passim, ac velut anthonomasticè appellaretur (quod nomen jam ab ineunte ætate ob ingenii acumen sibi comparaverat. Tantam ejus animi pietatem, ac amorem, fervidumque zelum non usque adeò mirabitu quicumque in memoriam non revocatur quam honorabilem commendationem hæc omnia eidem attulerint coram Carolo II. Inclito Hispaniæ Rege, qui hæud ferrè valens Dominici Perez ætatem, ad prædicationis officium obeundum immaturam, sibi eum in Divini verbi præconem elegit.

Et meritò ; Sol quippè si erat in Hispaniæ Regnis Heros noster, cur ejus splendoribus irradiari, ac incendi Regis cor ardentè expetere non debebat? Verùm si luci, ac sapientiæ proprium est omnes, & si inferiores terræ partes penetrare, Dominicus Perez ex Hispania profectus Imperatoris aulam adiit; sed quia ejus inorando vis non in sola voce forinsecus insonante sita erat, sed ex ardenti, qua fervebat, charitate erumpebat: Ei non contigit, quod ventis solet, qui cum oriuntur vehementissimi sunt, ad longinqua tamen debilitati perveniunt; sed quod Soli evenit, qui eò majorem lucem ardoremque diffundit, quò plus ab Oriente recedit. Quapropter Imperatoris Orator destinatus, omnium Germaniæ Optimatum in ipso figebatur obtutus, adventu suo ita rumores confirmans, qui de ipsius virtute, ac ingenio percrebuerant, ut jam nihil in Urbe esset eo nomine clarius, in eumque omnium animi converterentur, haud dubii, quòd vitiorum Regno perpetuum gerens bellum, nè punctum quidem temporis ab illis detestandis conquiesceret.

Libenter quidè in hoc ejus ornando erga Divinum Cultum ardore, ejusque Apostolici pectoris zelo, diutius immorarer, nisi alia Orationem ad se traherent. Mira illi erga amicos fides, ac in obsequio



comitas : sermo ingenuus , & ab omni fūco alienus : plus in animo benevolentie quàm in verbis , Thesaurorum more quibus plus est opum in recessu , quàm in ostentationis superficie ; Hæc à suarum laudum præconio excludi nequaquam possunt . Quid ergo de publicæ privatæque rei gerendæ dexteritate , dicam ? quàm gravia mirabili arte sublimique mente expendit , intrepidâ animi constantiâ confecit ; deque illius prudentiâ , quâ omnium Optimatum animos sibi conciliabat , quâ ita inter omnes eminebat , ut in Catholici Regis , ac Imperatoris aulâ ejus sententiæ , ac consilia velut Oracula omni exceptione majora absque ullâ prorsus disceptatione præ ceteris deligerentur ?

Non ergo Dominici Perez virtutes , gloriæque femina in recessu , ac solitudine præmi debebant ; sed ad maturitatem , hæ virtutum fruges perductæ , amplum jure merito ac dignum nancisci Theatrum sæculis omnibus prædicandum . Hinc variis Episcopatus Insulis ejus Caput redimere Magnates , ac Imperatores student . Num tamen Episcopale onus suscipere ejus profunda animi humilitas ipsi permittet ? Pertentent ejus invictam constantiam fabricare ; nulla tamen vi adduci valet , ut eam animi demissionem , cultusque parcimoniam non retineat , quibus à suæ
 reli-

religiosæ vitæ tyrocinio se assuefecerat : Hinc munus hæreticos inquirendi cum ei publicè mandatum esset , ob fidei zelum , ob charitatis fervorem , qui ipsius animum exedebat , Patris sui Dominici vestigia præmens non recusavit . Sed ubi primum ad illum honoris gradum admotus est , nihil antiquius in animo habuit , quàm ut significationem aliquam suæ pietatis , ac doctrinæ omnibus daret .

At si Roma Hospitali quasi jure omnem virtutem quantumvis peregrinam amplectitur , suoque in lumine ceu terrarum Theatro collocat ; Dominici Perez virtus lucis ad instar per Orbem sparsa , nedùm in Firmana Urbe , verùm & in Urbium Regina miro tamen fulgore coruscare debebat . Hinc à Clemente XI. quàm humanissimè Dominicus Perez exceptus in Examinatorum Synodaliū numerum aggregatus est , ab Innocentio verò XIII. [quem utique Ecclesiæ suæ Deus sospitem , ac incolumem servasset] Sacræ Congregationis Indicis Secretarii munere decoratus extitit . Mirandum planè , non alio ornari honoris titulo , ac præminentia gradu permisit nisi eo in quo , & religiosam paupertatem , eundemque vitæ tenorem , quem in initio professus fuerat conservare haud dubiè posset .

At quis referre unquam potest, quàm ingens omnium animos cupido incefferat videndi cominùs, & ingenium cognoscendi, de quo tam multa tam præclara omnium sermone afferebantur. Dominicus autem Perez, sive in privatis Eruditorum colloquiis de re litterariâ sermo esset, sive in Scholasticorum arenam descenderetur; sive in Congregationibus, de librorum judicio, seu de aliis rebus agendum erat: magna ubique ejus doctrina, admirabile ingenij acumen, alta in consilijs dirigendis prudentia, eminebat. Quapropter his Ille ornamentis, ita sibi Bonorum, ac Eruditorum omnium animos voluntatesque devinerat; ut licet ex ejus temperatione corporis sperare haud possent diù se illius virtute fruituros, cuperent tamen omnes annis suis illius vitam prorogare. Quin, & sæpiùs Eminentissimi Cardinales ipsum adibant, præsentiam dignabantur, & opportuna quæ ipsis suppeditabat in rebus gerendis consilia avidè excipiebant; quamque egrè tanti Viri jacturam quam proximam prævidebant, ferrent, plurimis ac luculentissimis benevolentiam significationibus demonstrarunt. Voluit etiam Summus Pontifex Innocentius XIII. palàm significare quanto in honore & prætio haberet Reverendissimum Patrem Dominicum Perez, dum ad illum propè diem moritu-

riturum, Nuncium misit, qui ipfius nomine eum folaretur, & benedictione in articulo mortis donaret :

Sed, proh dolor ! Ne oratione mea vobis mærorem quem pro Viribus allevare constitui, magis augere quàm imminuere videar: tacitus aliàs bene multas virtutum ejus laudes prætereo. Tefte namque Seneca: *Boni amiffi accurata laudatio novum vulnus animò figit, & penam augct.* Nihil de ejus pio affectu erga Deiparam memorabo. Mittam summam inveterato in Morbo tolerantiam; cum enim jam nulla fanitatis recuperandæ affulgeret fpec inter acerbiffimos podagræ cruciatus moreretur, ita fe gessit ut nemo contemptum mortis tam magnificè jactarit in Scholis, quam ille fortiter in arena exercuit. Hæc inquam fileo; tacitaque veneratione transmitto; ne videar tamen silentio abuti, hoc unum dico jam fatis Dominicum Perez ad cœlestem gloriam acquirendam & immortalitatem vixiffe. Jam tanta corporis imbecillitate preffus, ac frequentiffimis morbis afflictus, ut nullam nec nocturnæ quietis partem percipere poffet: benè cum ipfo actum est, cum omnibus hisce liberatus miseriis, præclaris fuis actionibus, ac virtutibus præparata in Cœlo præmiâ credimus esse feliciter confequutum. Hinc fi nobis cordi est quod illi gratum fit, efficere: cupit

Dominicus Perez suo potiùs bono gaude-
re , quàm noſtræ Religionis , Eccleſiæ , ac
Reipublicæ literariæ malo triftari .

Interea Tu in omnium noſtrùm pecto-
ribus ſemper vives , viveſque ſemper at-
que etiam latiùs in hominum memoria ,
& ſermone verſaberis poſtquàm ab oculis
receſſiſti . Quantum verò ad Nos ſpectat
Auditores , non eſt quòd tanti Viri
mortem deſeamus , cui potiùs gratulari
debemus : cum terram Cælo , laborem
quiete , mortalitatem immortalitate mu-
tarit . Quòd mortuus eſt , humanæ fragi-
litateſ eſt ; quòd ita mortuus , divinæ cujuſ-
dam felicitateſ . *Bonum certamen certavit ,
curſum conſumavit , fidem ſervavit* , eumque
tandem Deus ex hoc inquieto ac turbulen-
to ſalo in illum , ut quidẽm ſpes eſt , feli-
ciſſimum portum perpetuę quieteſ ac tran-
quillitateſ eduxit . Ex ſpe recreati noſtrum
debemus lenire doloreſ , ejuſque virtuteſ
ſtudioſè imitari : ut tandem emenſo hujus
vitæ curriculo , æterniſ cum ipſo gaudijs in
Cælo perfruamur .

L A U S D E O .

8

